

Sala
Gab.
Est.
Tab.
N.º

R
3
3

R
3
3



EMMANVELIS
Costæ Iureconsulti

LVSITANI REGII SENATO
ris de nuptijs Eduardi Infantis Portu-
galliæ , atque Isabellæ , Illustrissi-
mi Theodosij Brigantiæ Du-
cis germanæ , Carmen
Heroicum.



CONIMBRICAE.

Excudebant Ioannes Aluarus & Ioannes Barrerius
Typographi Regij. Anno. M. .D. LII.

EMMANUELLIS
GOLLE
LVSITANI REGIS SENATO

Ignatij Moralis doctissimi artium:
magistri, ac celeberrimi poetæ
in laudem authoris

Carmen.

Purpureis Doctor velatus tempora fertis,
Et succo Hyblææ labra perunctus apis,
Legum immensum opus, & penitus secreta recludens,
Et quæ nec fuerant Bartole nota tibi:
Hic est Emmanuel, quem Lusitania alumnus
Argute iactant concelebrantque Scholæ.
Illum de docta scrutantem iura cathedra
Audit turba frequens, & stupet ipsa virum.
Adde quod & dedit ingeniosa volumina legum,
Queis nomen toto sparsit in orbe suum.
Nec contentus eo Parnasia rura subiuit,
Adiunxitque hederas, binaque ferta comis.
Carmina nam condit Romano nectare fusa:
His solum titulum deme, Maronis erunt.
Eulget honore igitur gemino: ne Silius vnus
lacteturque foro, Pierioque grege.

CONIMBRICAE

Excudebat Joannes A'ntis & Joannes Barthelemy
Typographi Regij. Anno. M. D. LII.

Illustrissimo Principi

THEODOSIO, HVIVS NO
minis Primo Brigantiæ Duci, Em
manuel Costa Vlyssiponenfis
Iureconsultus .S.



*V*um proximis mensibus, quibus Academia
nostra more à publicis lectionibus feriabatur,
illustrissime Princeps inter nonnulla versibus
à me olim composita, libellum de nuptijs Eduar
di Principis, & clarissime Sororis tuæ Isabellæ inuenissem,
eumq; rudem, atque interruptum quasi extraneus lector
nempe post .xv. annos perlegissem: dolui, me in ea etate,
in qua venia paratus erat fauor: non perfecisse quod ho
mo iam quadragenarius, legum veteranus professor, ac
plerisq; in ius civile editis commentarijs notus Iureconsul
tus absoluerè pro dignitate non poteram. Sed quoniam ea
rum nuptiarum author ipse extiteras, & in his triumph
lem illam pompam ludorum & spectaculorum exhibue
ras incredibilibus sumptibus, quibus memoria nostra splē
didius nihil vidit: meq; in are tuo esse agnoscerem, quod au
gustissima Brigantia familia, cuius principatum merito te
nes, parètes quondam meos addictissimos clientulos habue
rit: putavi, meæ erga te pietati haud aliter satisfaciturum,
quam si insertis quoque tui generis primordijs, quæ cum Lu
A 1)

sitanie Regibus communia habes, inchoato operi extrema
manum admouerem. Quocirca tentavi, cum tetricis Mu-
sis in gratiam redire: easque speravi, Parnasum mihi ac fon-
tes suos tui potissimum contemplatione reclusuras, quem
videlicet eo nomine charissimum habeant, quod inter ce-
teras animi dotes, quibus laudatissimos quosque Principes
antecellis, aut certe equas, summam etiam humanitatem,
ac munificentiam in perditos eruditus adiunxeris. Opuscu-
lum itaque velut ad incudem reuocans, quanta potui in-
genij contentione laboravi: ne aliquid indignum tuo nomi-
ne, aut mea existimatione publicarem. Nec timui, si elegā-
tioris palati, vel grauioris supercilij hominibus opera hæc
nostra displiceret: quod Iurecōsultus poeta esse, aut nō possit,
aut non debeat. Nā meminī, Modestinum (et) priscos alios
Iureconsultos, quorum veterē (et) bene fundatam iuris pe-
ritiam imitari in libris meis soleo, carminibus quoque non in-
feliciter vacauisse. Accessit præterea, quod Ioannis Regis
iam feliciter designati præceptor Antonius Pinarius, vir
in omni literarum genere doctissimus, ac Lusitani ingenij
rarum specimen, carmen hoc apud serenissimum nostrum
Regem non solum comprobauit: sed (et) non vulgari laude
dignū esse iudicauit. Accipe igitur humanissime Princeps
hilari fronte cliētis tui libellum, paruum illum quidem, sed
non tam versuum numero, quàm rerum (et) sententiarum
ponderē estimandum: eoque proposito elaboratum tibi ac dica-
tum, ut Entelli Vergiliani exemplo hic versus, artemque
reponam. Vale.

Emmanuelis Costae

IUR ECONSULTI DE NUPTIIS

Eduardi Infantis Portugalliae, atque Isabella

Illustriſſimi Theodoſij Brigantiae

Ducis germanae

Carmen.



REgia progenies, Eduardus coeperat Heros
Iá longas malè ferre moras, iam tarda vocare
Pacta, Cupidino transfixus pectora tælo.
Cùmq; nouo incensus primùm flagraret amore,
Multa querebatur secum: nec carpere somnos
Nocte, nec vrentes poterat componere curas.
Non illum lato in campo iuuat, vnguibus acrem
Soluere auem prædæ volucris, prædaque potitam
Ad notas reuocare manus: non per iuga montis
Antè vt erat solitus, cursu, stimulisque fatigat
Sudantem venator equum. mens ægra fouetur
Sperando interea, vultusque referre laborat
Ignotos oculis. nam primum incenderat ignem
Fama volans, totum latè quæ sparsa per orbem
Esse prope Oceani fines, vbi Phæbus equorum
Solvit colla iugo, Regum de stirpe canebat
Sydeream iuuenem, cui gloria magna laetentem
Esset habere patrem, qui solo vicerat Afros

Nomine, & attonitas absens tremefecerat vrbes:
Cuius in aduentu Zamor inclinata patientes
Obtulerat portas, non ausa, videre tremendi
Signa infesta ducis: similem quæ deniq; fratrem,
Insignem pace atq; armis, sortita fuisset
Theodosiū, ante alios ditione, opibusq; potētem,
Ergo Eduardæos blandè miserata dolores
Alma Venus, cupiensq; suo dare nomen Aprili
Aeternum thalamis, nato sociata volucris
Ante Iouem stetit: & roseo sic ore loquuta est,
O pater ò Diuū atq; hominū Rex optime, cuius
Ad nutum triplices dispensant vellera Parcæ,
Scis iuuenem Lysijs Eduardum è Regibus ortū,
Quē Rex Emmanuel, postquā penetrauit ad In-
Classibus, ac regno occiduo submisit Eoū: (dos
Iam senior genuit, minimumque ætate reliquit
Raptus ad Elysios campos, sedesque piorum.
Hunc ego Reginae Mariæ de ventre cadentem
Sustuli, & Idaliæ mecum fouere Sorores.
Post verò innupta quoniam cum Pallade Diuæ
Aonides puerum mihi subtraxere volentem:
Ipsa manum inieci, meaque illum ad iura retraxi
Nomine cognatæ captum, sic ferre coactus
Dulce iugum, pactos miserè suspirat amores:
Et quæ causa thoros, sperataque gaudia tardet,
Nescius, heu leuibus spargit vota irrita ventis:

Per me nulla mora est: vereor ne forte Deorum
Inuidus his quisquam thalamis obsistere tentet.
Rūpe morā omnipotēs genitor, da iūgere dextris
Legitimum fœdus. non hoc de plebe Dearum
Sed tua te Cytheræa rogat, fœuusque Cupido,
Nostrum fraterno affectu miseratus alumnum:
Qui nisi concedas, vindex aut cornua tauri,
Aut Danaes pluuiam, Lædæi uè altera cygni
Colla, sedet varios in te meditabitur ignes.

Dixit, & hîc lepidō diduxerat oscula risu.
Iuppiter huic cōtrā placidus, Cytherea quod ābo
Optatis, dabitur: cedit si quis Deus antè
Restitit his tædis, quarum se attollet honore
Aprilis tuus, æterno memorabilis æuo.
Idque olim & Parcæ voluunt, & destinat ille
Ioannes Rex Lyfiadum, quem fata sequuntur.
Et quoniam pius hoc votis petit omnibus vnum:
Theodosius sponsæ frater: placet illius ergo,
Vt Superi festos vnà celebrent hymenæos:
Quos curare tuum est. pueri violenta ferocis
In me tæla vacent: Isabellæ virginis vrant
Pectus: vt immenso sponsi teneatur amore.

Hæc ille. Extemplo proprias Cytheræa reuisit
Cum nato pariter sedes, vbi tertius orbis
Voluitur, ac læto fœcundat sydere mundum.
Et curru terras procul inuisura iacentes,

Principiò ardentem radiato murice vestem
Induitur, Diuæ vnigenæ mirabile donum.
Tum caston rutilâtem, ac blando numine plenū
Cingitur. hoc pelagi insani mulcere procellas,
Et cohibere queat torrentia flumina ripis:
Possit & irato dirum excussisse Tonanti
Fulmen, & in media Mauortem sistere pugna.
Mox Charitū arbitrio colit, atq; venustius ornat
Auricomum caput: & quosdam per tēpora crines
Diffundit, lusum Zephyris, ignesque marito.
Postquàm se comptâ speculo mōstrate probauit,
Imperat alatis pueris: vt protinus agmen
Cogant, & niueos reuocent ad fræna iugales.

Nec mora, Vulcano sudatum, auroque nitētē,
Et varijs currum distinctum ex ordine gemmis
Præsentant: quo sublimis super æthera ferri
Diua solet. longo sedet in temone Cupido
Aureus, & iunctos gaudens moderatur olores.
Mulciber (vt fama est) cū quōdam arderet amore,
Ambiretque thoros Veneris, pede debilis vno
Vilior, & spreta iam conditione repulsus
Hos domine supplex, facilem si posset amanti
Reddere, donarat currus: ac munere tali
Diuitias, doctæque manus prætenderat artem.
Illic syderei conceptam è sanguine cœli,
Inque Cytheriacis nascentem expresserat vndis.

Ipsa videbantur circum stupefacta silere
Aequora, & admixtae cygnis per inane columbae
Plaudere. ludentes iuxta delphinis in orbem
Fecerat, & procul attonitos in littore Faunos.

Ergo ubi ad instructum currum se Diua recepit:
Mercurij, lunaeque globos, ignisque sequentem
Praeterit: ac medium subiecta per aera terras
Prona petit, qua Lyfiadum gens, inclyta bello,
Oceani domitrix, sese melioribus almae
Exercet pacis studijs sub Rege benigno,
Aurea Ioannes renouat qui saecula terris
Tertius, at nulli Regum virtute secundus.
Hinc molles Zephyri per florida rura vagantes
Altius assurgunt Veneri: pictoque cohortem
Pennatam nymbo excipiunt, & suauibus auris.

Est apud herbosos campos, quos perluit undis
Lusitanus Anas, castellum manibus albis
Conspicuum. Villam laetam dixere coloni,
Quod regio donis Cereris, flauaque Mineruae
Arboribus, necnon Bacchaeo palmitate felix
Perpetuos habeat flores, aurasque salubres,
Et liquidos fontes. hinc est mihi dulcis origo,
Hic humiles, tenuisque mei vixere parentes.
Hanc sibi dilectam sedem magis omnibus olim
Incoluere Duces, quibus vix Brigantia paret.
Hic & opes, nervos bellorum, hic arma reponunt,

Et debellato quæsitæ ex hoste trophæa.
Hic Dux Theodosius sublimem erexerat aulam,
Magnificasque domos, auroque nitentia tecta
Propter odoriferis halantes floribus hortos
Hesperidum similes: quales propè fabula finxit
Munifici Regis, cui ponti creptus ab undis
Errores, casusque suos narrauit Vlysses.

Huc dilapsa Venus cygnos ad pabula solui
Iussit, & in vitrei requieuit margine fontis:
Utque pharetratis per amæna vireta puellis
Ludere permisit modicum, vos (inquit) Amores
Hoc duce (& ostendit natum, quæ blanda fouebat)
Ite Eboram, vicinam urbem, tranate volatu
Nubilia pernici: atque Eduardo afferte, propinquum
Esse diem, quo iam flammati pectoris æstus
Restingat, voti ducta sibi virgine compos.
Illum hæc cum Lysio venientem ad mænia Regem
Ducite: saxosaque vias prosternite vernis
Floribus, atque obiter pharetras vacuate sagittis,
Dixerat. Actutum fratres posita arma resumunt,
Observantque ducem: celeres ille impiger alas
Excutit, eque sinu matris petit æthera primus.
Qualis apum ductor, si quando æstate serena
Examen stimulis armatum in prælia ducit,
Ipse volat medius: rutiloque notabilis ore
Præse fert solo dignum regnante decorem:

Talis Amor (quanquã stimulus non parcat, vt alter
Ille suo) facie egregia, cultuque volabat

Insignis, turba volucrum stipatus Amorum.

Interea indigenis Nymphis comitantibus aulam

Theodosii Cytheræa intrat: miratur in altum

Libratas moles, Italoque excisa labore

Marmora, et auratis radiantia culmina tectis.

Crèdedit, Aeneadum palatia magna suorum

Cernere: splendebat tantum decus artis & auri.

Atq; hîc Theodosium Diua iprouisa refulgens

Talibus aggreditur dictis, fortissime ductor

Lysiadum, magni soboles præclara Iametis,

En adsum Venus, æthereas deiapfa per auras:

Vt quæ nunc tandem sedeat sententia cælo,

Acciperes. Isabella nouo germana marito

Iam ducenda uenit. regales instrue pompas,

Exere thesauros, ac rarum quidquid ubiq; est

Munifica profunde manu. tibi maximus ille

Succedet tectis hospes, quem sceptrâ tenentem

Lusitanus amat, Maurus tremat, Indus adorat,

Ipsè colis dominum, ac fido veneraris amore.

Hic sponsum, ac fratres, secumq; ingentia ducet

Agmina: vt hospitibus vix isthæc mænia possint

Sufficere innumeris. sed tu pro viribus omne

Officiûm patris impendes. tua nota voluntas

Est mihi, quosq; animos excelsò in pectore verses.

Pro pietate ista tædarum arcana tuarum
Accipe. venturo consortem tempore duces,
Qua nec in Hesperia, nec in orbe decetior vlla
Esse queat, genus illius si fortè requiris,
Cõmunes numeratis auos. iam virginis artes
Palladis esse putes, quam pulchro corpore vincit,
Talis Dardanio Paridi si visa fuisset
Armipotens virgo nemorosæ in vallibus Idæ,
Hæsisset dubius pastor: nec iudice eodem
Prælatæ mihi cessisset victoria formæ.
Scilicet vxorem talem seruabit in aula,
Inq; suos mores finget tibi regia coniux,
Filia magnanimi Regis Catharina Philippi,
Omnigenum exemplar virtutũ, ac gloria sexus
Fœminei: cui nunc pregnantifata dederunt,
Edere Ioannem Quartum, non nomine solũ,
Sed patri similem virtute, animoq; futurum.
Huius in augustis comes, ac pars magna triũphis
Olim Ioannes ibit tuus, aurea proles,
Quate factura est Dionysia virgo parentem.
Hæc ita fatorum series voluentibus annis
Omnia monstrabit: nũc quod prius instat, agédũ.
Vos igitur celeres Hymenæũ accersite Nymphæ,
Et postes ornate, mea q; intexite myrto.
Non fuscæ vobis violæ, non candida desint
Lilia, non nostro rubefacti sanguine flores.

His vbi sermonem clausit Dea Cypria dictis,
Attoniti Ducis ex oculis se soluit in auram,
Diuinis iam iam manibus computura maritam.

Tum primùm Ioanna suo viduata Iamete
Permississe sibi placidos pro tempore vultus
Dicitur, & lachrymis positis, ac fronte remisso,
Flámea priuignæ, cultusq; parasse decoros.

Sic & lugentes animæ, quas sylua tegebat
Myrtea: quum patruo nupsit Proserpina Regi,
Admisere graues risus, paulúm q; leuata
Tristia sepositis laxarunt pectora curis.

Quos numeros Ioanna tibi, quæ carmina donem
Aequa tuis meritis? taceam si cætera, quantum
Iccirco laudanda venis, quòd clara Iametis
Semina, tot natos patriæ fœcunda dedisti.

En primus toruo generosæ frontis honore,
Nomine, consilijsq; refert, & Marte parentem.

En Constantinus, vultu non pauca decoris
Signa tui gestans, altum præludit in armis.

En gemini, ceu stellantis duo lumina cœli,
Sciuntillant tenero pueri Fulgentius ore

Theutoniumq; quibus similis reptabat ab vlnis
Maternis Delo instabili formosus Apollo.

Adde his intactas forma eccellente puellis
Bis geminas, totidem sexus decora alta secundi.
Ioannam, cuius veluti cœleste reculent

Mortales hominum iubar, insuetaq; trementes
Caligent in luce oculi. Mariamq; Sororem,
Quãlibi vt assereret propriã Regnator Olympi,
Abstulit humano generi, sacrisq; dicauit
Aedibus, et tanta priuauit virgine mundum.
Nec non cum summa morum probitate venustã
Eugeniam, dignam, æqualis cui stemmate eodem
Agnatus, ditione potens, belloq; tremendus
Olim felici contingat forte maritus.
Atq; erit hic (nisi me vatum præfagia fallunt)
Cui celsos maternus anus, cognomine clarus
Gentis ab Almeida, titulos, nomenq; reliquit
Francisci, et domito quæsitã Oriente trophæa.
Postremo impubes sequitur Vincentia, qualis
Est rosa, quæ molli nondum sese explicat horto,
Albas tecta comas, viridiq; inclusa galero.
Credo equidem, tali quondã si Amphionis vxor
Prole superbisset, nunquam confixa sagittis
Corpora plorasset: nam se confessa minorem
Cessisset Latona. vltro spaciarer in ampla
Materia. incepti reuocat me carminis ordo.

Martius ergo dies niueo de vellere ductus
Affuit, obscuras Terrę populauerat vmbas
Puriceis Aurora rotis, vdxq; volucres
Candentem resono mulcebant æthera cantu,
Coniugij celebres Titan visurus honores

Ocyor assueto Tauri se cornibus aureis
Extulerat: læto ridebant omnia vultu.
Theodosij latè regali splendida fastu
Aula nitet, pictis florent noua limina fertis.
Intentos possunt oculos sine fine morari
Ex alto varijs suspenſa aulæa figuris.
Quippe hîc Luſiadum partos Oriète triumphos
Artificis labor eximia discreuerat arte:
Oceaniq; sinus, Euroq; afflata colono
Littora, veliuolas claſſes, pugnataq; bella
Finxerat. argento paſſim contexta rigebant
Sacri argumenti Lyſiorum inſignia Regum,
Et paſſim ignitis feruebant aurea pugnis
Aequora: ſanguineos miſcebat purpura fluctus.
Primùm Cochineo fortis pro littore ductor
Stabat, agens raros Eduardus in arma Pacequus
Lyſiadas, ferroq; locum, flâmiſq; tenebat.
At contrâ vrgebat varias Malabaris Eoi
Regnator Samorin paucorum in funera gentes.
Hinc pelago innumeræ pinus: hinc margine ſiccò
Horredis diuerſæ armis, habituq; cateruæ
Lyſiadum exiguam certant euertere claſſem.
Illi obſtant: dextrisq; adeo victricibus inſtant,
Vt famuli occiſi fœdatum ſanguine Regem,
Dum fugit, exanguem cogant ſe ſternere terra,
Parte alia belli Granatæ exercitus vſu

Primi Abrantæi Comitæ clarissima proles
Franciscus, Regisq; vices, cultusq; gerebat.
Ac primùm capta Quiloa pulsoq; tyranno,
Iple erecta sedens supra tabulata verendus
Regali Alconis caput insignibat honore.
Nec procul hinc urbem ferro populabat & igne
Mombasam, spolijsq; rates onerabat opimis.
Tum Calecutanos Pamnani in flumine cædens,
Illorum simul & naues, & tecta cremabat.

Quem iuxta pulcher Laurétius agmen agebat
Filius, vt summas aliorum vertice cristas
Aequaret, magnum promittens corpore robur.
Hic vastam fundes Cananoris in æquore classẽ,
Egregium dextro quærebat Marte triumphum.
Illum inter primos inimica in puppe videres
Tollentem Indorum suprema in fata bipemnem
Auratam, & multa veluti de cæde rubentem.
Ast alibi infelix iuuenis prope littora Chauili
Illisa hærebat puppi, quem classe premebant
Milichias, Mirocenq; duces. per deuia qualis
Aestiferæ Lybiæ venantum turba fatigat
Cedentem lentè, nec dantem terga leonem.
Heu fidam classẽ sociorum arcebat iniqua
Torrentum vis vndarum, quam vincere frustra
Tentabant remis: & enim vela omnia laxa
Monstrabant, ventos posuisse, aurasq; silere.

Ille indignanti similis, qua euadere posset,
Spernebat cymbam, oblatam pietate suorū:
Et ne cum summa qui gesserat omnia laude,
Excusandum aliquid faceret: quāquā æger, & ora
Saucius, afflictæ tutelam vt cūq; carinæ
Suscipere, & circūstantes moriturus in hostes
Tæla videbatur versare, decusq; tueri:
Victuraq; in perpetuum nece procumbebat.
Littoreę Nymphæ (Quid enim non illa moueret
Celsa ducis species, extinctaq; gratia formæ)
Cum lachrymis ita commotos ad sydera vultus
Tollebant, ac si cælum crudele vocarent.

Posthæc Franciscus demissa in pectora barba
Pullatus, contra Dabul dira arma mouebat.
Nanq; trucidabat stantes pro mœnibus hostes,
Mænia vastabat flammis: non parcere sexu,
Aetati uè dolor poterat, rabiesq; nocendi.
Deinde vrbis Dilatos complentia portus
Vela ducum, nati Laurenti cæde tumentum,
Inuadebat atrox. Parte ex vtraq; carinas
Flammantes igne accenso, totumq; nigranti
Acradenatum fumo, nympboq; volucrum
Tœlorum, armatis & feruere littora turmis
Et multo aspiceres vndantem sanguine pōtum.
Hic ratibus iunctis, Mauortia pectora, nostri
Lyfiadæ ferro in Turcas ultore ruebant.

Hic Mirocen Lyfia percussus cuspide frontem
Brachia iactabat pelago, cursuque petebat
Nauale: vt socia fugiens se conderet vrbe.
Illum euadentes Turcæque, Indi que natantem
Ponè sequi, & vitam trepidi seruare per vndas.
At senior viridi redimitus tempora lauro
Franciscus, Cambaia alnos, Turcasque triremes
Captiuas medio ducebat in æquore victor.

Nec non multus erat diuersis partibus aulae
Dux Albuquerquæ prognatus origine gentis
Alphonfus, cui iuncta comes Bellona flagello
Sanguineo Mauros pariter terrebat & Indos
Ormuzum, fortemque Goam, ditemque Malachã
Gangaridum innumeris defensas millibus vrbes,
Cernere erat, sub Lyfiadum ditione redactas
Fulminei virtute ducis. rubicunda virago,
Aethereo demissa polo, volitabat in illum
Prona, triumphalem gestans Victoria palmam.

Obtutu aulaeis fixo dum talibus hæret
Vndique concurrès thalami ad spectacula cætus:
Intonuit læuùm Omnipotens, cæloque sereno
Signa dedit. factodescendunt agmine Diui:
Vt celebrent festos hominum sub imagine ludos,
Formosumque nouis socient Hymenæa maritis.
Principiò Mars bellipotens parat arma sequenti
Exercenda die. minor est haud cura Mineruæ:

Mille ad concursus equitū Dea comparat hastas,
Centum quadrupedes phaleris radiatibus ornat,
Tum quas in syluis sine vulnere cæperat altis,
Includit Dictynna feras armenta minaces
Seducunt tauros, cæcoque in carcere linqunt:
Inclusi toruas acuunt in prælia frontes.
Hinc cultus Aegypte tuos, mentitaque sexum
Turba ruit, pedibus choreas latrator Anubis,
Fictaque Niligenū plaudebant monstra Deorū.
Inde senum festiua manus, ducente Lyeo,
Bacchatur ritu patrio: eursusque recursusque
Ingeminat recinens, atque ara sonantia pulsat.
Parte alia culti iuuenes, pulchræque puellæ
Prodibant, lætumque choris Hymenæa canebāt.

Hos Diuūm exēplo reliquorū intōsus Apollo
Ducturus fuerat: nisi tunc ingentia Musis
Mœnia iam Lysijs ad Mondæ fluminis vndam
Conderet, vt Regi Lysio renouaret Athenas.
Cumque Almeidae specimen probitatis ibidē
Garfias, rerum primas tractaret habenas,
Et vates fatis illum ad maiora vocari
Præsciret: Romæ procul accerserat agentem,
Patronum doctis, Mecoenate mque futurum
Bernardū, ac magno ingenio, sancteque benignis
Moribus huic operi magna incrementa datum.
Interea medio postquam descendit Olympo

Sol leuiore rota, magno stipante suorum
Agmine, Theodosius lætos properabat in agros:
Obuius vt Regem exciperet. comitantur euntem
Formosi fratres gemini, Mendosia proles.
Incedunt iuxtà pedibus centum vndiq; lecti
Corpore procero famuli, quos pallidus omnes
Cæruleusque color, partes diuisus in æquas,
Vestit: & alternis variat discrimina limbis.
Sublimes in equis præcedunt ordine longo
Aethiopes: quorū arte sonos caua t̄ypana reddūt,
Et buxi, atque tubæ: pendent argentea nigro
Scuta in signe Ducis sacrum monstrantia collo.

Contrà per virides colles, & pinguia culta
Ioannes patriæ pater, & Regum optimus acri
Rex veniebat equo vectus: quem Martia Septa
Nutriuit Lybicū, & domino transmisit habendū.
Illum secura populos in pace regentem
Haudquaquam rigidis horrens exercitus armis
Tutatur, meritò. Quid enim solennia Regum
Spicula præferret: cui tantum sufficit vnum
Præsidium, communis amor? priuatus euntis
Cultus erat, modicumq; ensi permiserat aurum
Magnarum largitor opum: quem veste latentem
Non minùs ignotæ possent agnoscere gentes.
Tantus honos, orisq; decor, tam celsa coruscat
Maiestas vultus metuenda & amanda sereni,

Sed metuenda minùs. reliquos aut purpura Reges
Indicat, aut sceptrum, vel cum lictore satelles:
Hunc facies monstrat regnare, & parcere regno.
Talis ad Aethiopum mensas, & littora patris
Oceani cinctus Diuis, & fulmine nullo
Iuppiter it, sceptri posita grauitate serenus,
Nec non & Diuis similes latus vndiq; Regis
Claudebant fratres. dextrum claudebat amictus
Purpurea veste Alphonfus: quo cardine postes
Non se verterunt Romæ feliciùs vnquam.

It Regi comes exterior Ludouicus. in illo
Inuicti species ducis, æquiparanda Gradiuo
Emicat. eiusdem nuper sententia victrix
Fecerat, vt Carolus Lybiæ progressus in oras
Pelleret immanem Tunetis ab arce tyrannum:
Sydereo Carolus demissus ab æthere Quintus,
Cuius in Hispanis habitans Victoria castris
Inde sacras aquilas, iurataq; signa tuetur:
Vt qui Magnorum titulos meruere triumphis,
Maximus, imperio pacatum temperet orbem.

Mox facer Henricus vatum terrenus Apollo,
Et decus Aonidum, cultu spectabilis albo,
Subsequitur fratres, cui si sanctissima clauces
Olim Roma dabis: quantum exultabit in ipso
Aethere piscatorq; senex, omnisq; piorum
Successorum ordo: rutilo mirabitur auro

Ipsæ suas splendere pater Tyberinus arenas
Lætus honore Tagi: sed & in mare celsior ibit.

Proximus incedit Princeps Eduardus: & altè
Lumine vestigat cupido, si cernere detur
Mœnia, castellumque suos quod seruat amores.
Ac mora lōga omnis, longæque videntur amati
Esse viæ, segni que gradu procedere fratres.
Mirantur campis fusi iuuenesque senesque
Illius roseum quàm blanda superbia vultum
Commendet, quales oculis dispergat honores.
Talis ab Eo quum primùm cardine surgit
Auroræ socius, Veneri gratissimus idem,
Lucifer vmbroso perfundit lumine terras-

Circa illum Paphia velati tempora myrto
Mille pares volitant pueri, gens mollis Amorum:
Quique suæ gaudent obiter dare vulnera plebi.
Ipse autem iuxta matris præcepta Cupido
Agmina ductabat, sinuatoque improbus arcu
Obtusis Dryadas feriebat rustica tælis
Numina, cum Satyris studio progressa videndi.

Post & Lysiadū primi, Comitesque sequuntur,
Magnatesque viri, quorum si nomina longus
Persequar, innumero crescet mihi pagina versu.

Nec tamen hos inter proceres Antonius ibat
Castaneus Comes, ac gazæ præfectus Eoæ:
Quòd magnā interea classē expediebat ad Indos,

Sollicitus pro Rege suo, cui charior alter

Nemo fuit. talem Regis Ioannis amorem

Antoni meruit pietas, sapientia, virtus.

Sed non indictus Lamecensis Præsul abibit

Fernandus, cuius niueo distincta colore

Brachia, candoremq; animi, baculumq; notabât,

Securas quo pascit oues: vt mandere terram

Cogantur rabido ore lupi, longèque recedant.

Non alter Fernádus auis, atavisque superbus,

Francisci Pharij genitor, Regique propinquus

Sanguine: quem ferula insignè, canisque verèdum

Rectorem obseruat Catharinæ Principis aula.

Nec te Petre, sacris mecum nutrite sub antris

Musarum in prima puerorum ætate, filebo:

Qui Regis secreta tibi commissa fideli

Omnia conseruas animo, cui sufficis omnes

Vnus in Europæ, Lybiæque Asiæque libellos.

Atque ita dum passu properant vtrinque citato,

Ecce Iametiadis crescens exercitus implet

Et nemora, & colles, & prata virentia turmis.

Deprensæque feræ syluis euadere cursu

Tentant: sed notas nusquam inuenere latebras.

Ille autem Regem pronus de more salutat:

Ac refugæ supplex declinat in oscula dextræ.

Excipit hunc contrà placidus Rex ipse, caputq;

Vnde mare, & Terræ tot regna ingentia pendet,

Nudat: & amplexu pariter dignatur amico.
Progreditur Dux: atque modo veneratus eodem
Alphonſū, ac fratres, Eduardū amplectitur, hæc
Coniungens voces, tandē o clariffime Princeps
Hæc optata dies venit: cape regna ſororis,
Et noſtræ cape regna domus: deſeruiat vni
Brigantina tibi, ſimul & Guimaranea tellus,
Dixerat. atque oleas inter, quibus alma nitorem
Inſuetum Pallas dederat, vicina videbant
Mænia, quum ſubitò caſtelli è vertice cæpit
Audiri fragor horrendus, tonitruque frequenti
Irrumpi cælum viſum eſt. prorupta furentis
Tormenti nubes, atque igneus æra turbo
Verberat: incenſæ redeunt per inane fauillæ.
Audiuere lacus liquidi, procul audiit Oſſa:
Atque Eboræ ſedes penetrans argenteus amnis,
Molibus aerijs, & Rege authore ſuperbus,
Audiit: ex angues preſſerunt pignora matres,
His ego Phlegræos (ſi vera ea fama) tumultus
Crediderim ſimiles: iunctis quū montibus auſi
Bellum inferre polo, furialia monſtra gigantes
Ad matrem incenſi rediere cadauera Terram.
Inde propinquabant tectis, fontēque tenebant,
Quē paruum indigenæ appellant. is pocula vulgo
Hætenus, & patulis ſemper ſuffecerat vrnis:
Sed tūc quandoquidē populis coeuntibus hauſtus

'Arebat: fontem contra Lenæus Iacchus
Inter florentes erumpere fecerat herbas,
Vnde merum fluxit. concurritur impete denso
Ad potus: bibulique Ducem super æthera iactât
Laudibus, Euboici clamant vt pulueris annos,
Nestoris ætates, Troianaque sæcula viuat.
Suspicit hic geminum non æquo lumine Solem,
Et Baccho superante iacet resupinus: at ille,
More bibit Scythico postquã mera vina, liquores
Vicino de fonte petit, quem prouida Tellus,
Ne foret immunis, nullo cessante Deorum,
Struxerat. hinc ficto surgebat marmore candens
Postis, & aurito iaciebat vertice lymphas.

Exin Ioannes, solemne ad celsa receptus
Atria, Vulcani constructos arte penates
Ingreditur: fratres illum proceresque sequuntur.
Tũ virgo egreditur, thalamo cunctata parũper,
Et rerum nouitate tremens: cui mater Amorum
Albentem flauo pallam collegerat auro,
Rethiculoque comas precioso incluserat aureas.
Viua laborantem velabat purpura vultum.
Talis vbi Oceanũ iam Phæbo instante reliquit,
Noctis & obscuras vmbas, & clara fugauit
Sydera: cum vultu niueo, cum crinibus aureis
Miscet purpureum formosa Aurora ruborem.
Incendunt teretes digitos, & eburnea colla

Virginis, Eoo quæsitæ in littore gemmæ:
Fulgurat & raro bacchatum adamante monile,
Quod dedit affini donū Emmanuela Princeps,
Ferrarum imperij consors Isabella, Philippi
Principis Augusti mater, quæ sola reperta est
Cæsare digna viro: quia nec natura sub vno
Pectore tot dotes animi cumulauerat vnquam.

Nupturâ hinc mater Ioanna, hinc filia ducit
Ioanna, haud impar crescenti filia Lunæ,
Quam non pura dies facit euanescere cœlo:
Iam plenæ similis mater, sed cui inuida Tellus
Abcondit Solem, & tenebras pro luce reliquit.

Obstupuit visa sponsa Emmanuelius Heros.
Turbatoq; gradu accedēs, duplicesq; smaragdos
Alta in fronte notans, credit duo desuper astra
Lapsa, aut cuiusdam furto subtracta Promethei.
Mox ambo æterno iungunt socialia nexu
Vincula, & alternis emerunt pectora verbis.
Quæ pater Alphonsus sacri ratione galeri
Dictauit, velutiq; Hermes trepidantibus author
Astitit, et geminas dedit in commercia dextras.

Vix ea finierant, Eduardi ex ore Cupido
Ingentem totis sinuauit viribus arcum:
Aurataque nouam transiit cuspide nuptam
Iustus, & æquatis deuinxit corda sagittis.
Inde alacer, pennis adiutus, in oscula matris

Exilijs, roseaque levis ceruice pependit.
Illa facem æterno flammantem incenderat igne,
Quã gaudēs quassabat Hymē. ter pronuba Iuno,
Vt felix, faustumque foret, solennia verba,
Concepit. Sed enim liquidis de fontibus vndam
Attulerant festo plaudentes carmine Nymphæ.

Vt verò clamatus Hymen fugientia lucis
Tempora contigerat: facibus splendentia cereis
Lumina; & è cunctis passim funalia tectis
Suspensa, excludunt noctem, pro parte coactam,
Thebanas pensare moras, & cedere flammis.
Interea insignes epulæ, stratisque superbis
Impositæ, Regem spectant. Mauortius illic
Ales adest, Solis quondam explorator, & ore
Persarum Regi similis, quem cæsius horret
Cristatum leo: sed dederant mollescere, ferro
Amisssi, veneris stimuli, cantusque sonori.
Altilis, vna olim solùm concessa Quiriti,
Plurima adest, gallo nondum matura salaci.
Adsunt gemmanti referentes sydera cauda,
Elatae Iunonis aues: neque profuit assis
Id quod Alexander speciem admiratus earum
Magnus apud victos contrà præceperat Indos.
Et Phæbo sacer, & Zephyro spirante canorus
Venit Olor, cui nulla caput traiecerat album
Penna seni. heu captus Mirensis stagna paludis

Liquerat, & nullo celebrarat carmine funus
Optatum cæsus, nec sydera voce sequutus.
Ponitur aëria turtur qui solus in vlmo
Non solo ore gemit. posita est & Dædala perdix,
Cuius in Aegypto perhibent signare figuram
Inferos alijs. positæque fuere volucres,
Quas, licet impediât veneré, Venus ipsa tuetur,
Agnoscitque suas. posita est matertera Phœbi,
Nunc ales, veterû mensis damnata cothurnix.
Laudatûque nimis, positum est iecur. alitis eius,
Quæ cum sopitis canibus vigil vna fuisset:
Tarpeiam cantu seruauit ab hostibus arcem.
Nô deerât lepores, nô quo caret Africa, ceruus.
Extractû effossis animal non deerat ab antris,
Cuius (vt hystoriæ tradunt) Balearibus agris
Tantus prouentus quondam fuit: vt populatis
Messibus auxiliû numerosa animalia contra
Constet ab Augusto trepidos petijssse colonos.
Inuisum affertur Veneri caput: exit ab ore
Fulmen, adhuc sequi minitantur prælia dentes.

Talia quû primas onerarent fercula mensas,
Necdum prodirent bellaria danda secundis:
Ecce inter fratres solio confedit eburno
Rex medius, nudi que caput, generosa propago,
Hinc atque hinc pueri glomerâtur poplite flexo.
Inter quos Regis pendebat ab ore paratus

Ad nutum, Ganymede Iames formosior ipso.
Tu quoque pendebas Sasiæ spes maxima gentis,
Iâ venerande puer Francisce, nouemque Sororū
Delitię, vatum quondam tutela future.
Tū manibus lymphas Heroum argētea fūdūt
Pocula, cælatis auro preciosa figuris,
Materiam vincente manu:ferulisque ministri
Conspicui totos sese prius inclinarunt.

Adstabat mensis, Regique secabat edenda
In partes, veterum iuuenis flos ille Luporum,
Reginæque Lupę genus alto à sanguine ducens,
Quę Mauri armatū tremuere ad mænia Tingi,
Magnaque legatum mirata est Roma, Philippus.
Heu fatum crudele, heu Zone crimē adustæ,
Te modò Lysiadum iuuenū pulcherrime, febrī
Languentem, ac breuiter miserando funere raptū
Et nudi Aethiopes, siccisque in fontibus ipsæ
Naiades, atque adeo fleuerunt littora Minæ.
Vnde ministerij Rodericus Tauora consors
Illa hodie scindit Regalia fercula dextra,
Qua Basainenses resperfit sanguine campos
Ductor, & Indorum meruit de gente triumphū.

Ad cyathos stabat nemo, qui suauia Bacchi
Dona ministraret: puris quia scilicet vndis
Viuere Lysiadum Regi est solenne, meroque
Parcere: vt Andocydīs docti præcepta secūdum

Quæ Macedo occisis non exaudiuit amicis:
Expendat, gelidis vina esse venena cicutis
Sobrius, & nullo corrumpat nectare mentem.

At hîc Demodocus vates, Parnaside lauro
Tempora vineta gerens, niueoq; insignis amictu,
Andinæ cytharæ perstrinxit pollice chordas.
Lyriadumque altè repetens primordia Regum
Alphonsum canit, æthereæ depicta gerentem
Signa Crucis clypeo, quâ quinque erecta figurê
Scuta, simul victos totidem signantia Reges,
Atque ex argento triginta albentia nummis.
Quæ fundamenta, atque æterni insignia regni
Eccælo fluxisse refert, quo tempore verus
Ille Deus, M A R I A de virgine natus I E S V S,
Cui mortale genus vitam, & cælestia debet
Gaudia, Tartarei seruatum è faucibus Orci:
Se se Henriciadi manifestum ostendit ab æthra,
Affixumque cruci clavis, fluidoque cruore
Manantem, qualis culpam deleuit Adami.
Adjicit, vt populis antehac possessa profanis
Oppida, & imprimis multa vi cœperit vrbeni,
Terrarum fulgentem oculum, vastique potentê
Reginam Oceani, dictam de nomine Vlyssis.
Vt vario in summa viginti Marte tyrannos
Vicerit, & geminos supremo in culmine Reges
Imperij positos, felix si dira nouercæ

Matris vota Deo nunquam exaudita fuissent.
Denique vt illius Diuæ Crucis æde sepulchrum,
Quà modò Phæbæas Conimbrica sustulit arces,
Hūc habeat niueo descriptū in marmore versū,
Alter Alexander iacet hīc, aut Iulius alter.

Inde breui octonos transcurrens ordine Reges,
Ioannem exaltat Primum, terraque marique
Victorem, Lysij columnen memorabile regni:
Quæ simul, ac magnum Castellæ in prælia Regē
Armat, inæqualesque acies vtriusque rependens,
Collatis facit armatos concurrere signis.
Lysiadas numero exiguos, sed pectore forti
Ingentes canit, atque adeo vel vincere promptos,
Vel Regi, patriæque mori: quæ gloria genti
Insita, per seros crescat transmissa nepotes.
Hīc hostes latè fusos, Regemque fugatum
Castellæ, signo amisso, castrisque relictis
Subiūgit: positumque loco de marmore templū,
Grande pij victoris opus, quod condita seruet
Aeternūm tanti quædam monumēta triumphī,
Ipsius, Regumque aliorum insigne sepulchris.
Vnde genus nuptæ veluti de fonte paternum
Deriuat rectè numerans. Nam filius olli
Alphonfus fuit, Alphonso Fernandus, & alter,
Natus ab hoc, genuit fato meliore lametem.
Hīc & grandiloquo Nonium sonat ore Pereiram

Illum, qui nobis audendo restituit rem,
Atque decus regno, libertatemque parauit:
Quo fretus Rex Ioannes ceu fulmine belli
Expulerit Lysijs dominantem finibus hostem,
Et Septam, Libiæ caput expugnauerit urbem.
Ergo virum, patriæ tam fausto sydere natum,
A quo magna domus primùm Brigantia fluxit,
Et Villæ Regalis honos, super æthera notus,
Lysiadum Aiacem, feruatoremque Camillum
Prædicat, & qui Mæonio sit carmine dignus.

Hinc successorum postquam notissima Regū
Acta trium cecinit, miscens infausta secundis:
Tum fortunati Emmanuelis ad aurea venit
Tempora, tum plectro grauiore attollere cantus
Cœpit, & Heroas pietate auertere mensis.
Namque canebat, vti procerū per funera multa,
Ad quos inuicti Ioannis sceptræ Secundi,
Si superesse datum, rediissent lege priores:
Fata nouum regno dederint splendescere Solem,
Qui se, diuino Emmanuelis nomine dignum,
Cælesti ostendens feruore, sacrauerit vltro,
Impleritque Deo gentes, penitusque rebelles
Iusserit è totis quòcunque excedere regnis.

Illius auspicijs canit, vt de littore magnæ
Vrbis Vlyssææ felices soluerit audax
Vascus Gama rates: quò diuitis hostia Gangis

Quæteret, ignotique daret commercia mundi.
Sydere vt incerto, quâ vix immobilis Arctos
Horrendū monstrabat iter, maria inuia primus
Immanes scopulos, indignantemque recludi,
Oceanum inuentis tandem patefecerit Indis.
Vtque viro propter victricia signa beati
Regis, in Eois chorus assurrexerit vndis
Nereidum, vt concha qui personat æquora, Tritō
Dixerit, hunc cape, & Emmanueli redde tridentē,
Oceani pignus famuli, quem Rector aquarum
Ipse libens socio mittit: contraque superbi
Hippotadis vano demissos carcere ventos
Auxilium, & pelagi casus promittit in omnes.
Has autem gemmas, hæc rara monilia mittit
Pulchra Amphitrite, Neptuni regia coniux,
Reginæ Marię, cuius nomenque decusque
Et virtus, tam sunt ponto quàm cognita terris.
Tunc ipsam extollēs nauem ducis, æthere dignā
Nō minùs esse probat, quâ quæ sub Iafone quōdā
Nauit, vt aurato spoliaret vellere Colchos.

Sed quanquā huic Regi regnū debere, suosque
Plurima commemoret, nullos in pace tumultus,
Regales aditus faciles, & certa merenti
Præmia, præpositum doctū, & sine libe Senatū
Iustitiæ, instructas templis radiantibus vrbes:
Præterea trepidos intra sua moenia Mauros,

Nec sese audentes Lybico committere ponto,
Omnemque Auroræ gazam, Regesque subactos
Indorū, & lætos quocunq; ex hoste triumphos:
Histā, & quæ multa queat numerare canendo,
Posthabitis, illud quasi primum ad sydera tollit,
Quòd Regem ediderit regno, patriæque parentē
Ioannem, terris Saturnia læcula dantem.

Quem tūc præsentem, ac iustis quot cunq; fuere
Regibus antestantem animi virtute sereni,
Quum vates dignè nequaquam ostendere posset:
Timantis dignè picturam, artemque sequutus
Velat, Apollinea se fassus ab arte relinqui

Vnde nouū summo natū Emmanuele maritū,
Et nuptæ genitorem, Isabella è matre creatum,
Colligit excelso pariter de sanguine ductos
Fernandi illius, genuit quem Rex Eduardus.

Quid referā, vt demū Phæbeo arcana furore
Fatorum referans, tædis prædixerit illis
Gignendum Heroem, patrio quem nomine dictū,
Atque excellentis donatum agnomine, Princeps
Ioannes, veteris Lusitana noua gloria regni,
Diligeret supra innatum patruelis amorem.
Qui Lybiæ fatalis, & insuperabilis hosti
Anferret Lybicus patruo sub Rege coronas
Regibus, ardentesque æstu transgressus arenas,
Victor Lagæi penetraret ad hostia Nilæ

Nempe ob diuinos thalamos, quum Thessala tēpe
Inuisit, talem Superūm cingente corona
Credibile est cænasse Iouem. Sic Phæbus ibidē
Aethere ab asserto, Pallenæisq̄ue triumphis
Exorsus, cecinit Pelei, Thetidisq̄ue parentes:
Maioremq̄ue suo fatis genitore futuram
Progeniem, Troiæ fatalem indixit Achillem.

Sit fatis hæc Erato tenuem scripsisse poetam:
Dum legum soluens nodos, sensusq̄ue recludens
Vix haurire potest vestro de fonte liquores.
Qualiacunque igitur facies hæc grandia magno
Theudosio: cuius sacro sub nomine nomen
Durabitq̄ue meum, & fortasse in sæcula uiuet.

FINIS.

NIHIL ESSE IN HOC LIBELLO,

quod fidei CHRISTIANÆ aduersetur, cen-

suit Doctor sacre Theologiæ eruditissimus,

frater Hieronimus ab Azambuia: cui hu-

ius rei cura mādata est ab Illustrissimo

Lusitanæ Infante, eodemq̄ sacrosan-

ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali

D. Henrico, causarum fidei

CHRISTIANÆ in his

regnis Quæsitore sum-

mo & Optimo.



EIVSDEM AVTORIS EPIGRAM-
ma de tabella, qua depicta fuit Serenissimi Ioannis
Tertij Lusitanorum Regis soror, Maria
Princeps Augustissima.



EXprimere ad viuum diuinam Ollanda Mariã
Tentauit, raro dignum opus artifice.
Et talem expressit, qualis collata Dianæ est
A vate Alcinoi filia Mæonio.
Scintillare oculi stellata è fronte videntur:
Et micat in roseo viuudus ore decor.
Vultus maiestas est, cui fastigia rerum
Deberi, iusta cum ratione putes.
Quòd si Penelopes formam celeberrimus olim
Depinxit Zeuxis cum probitate simul:
Et felix manus Ollandæ monstrauit eadem
Augustæ mores Virginis in tabula.
Denique si posset mortali lumine cerni,
Hac facie Virtus conspicienda foret.
Nec tamen ostendi potuit satis illa venustas,
Qua toto visum est gratius orbe nihil.

Eiusdem aliud.

Vt vidit Mariæ pictam Cytheræa figuram,
Abstulit, & Nato sic ait illa suo,
Scis, vt consortem iam dudum fata laborent
Huic Mariæ, & dignum vix reperire queant.

Pro pharetra, atq; arcu solùm hác fer Nate tabellá:
Accedet titulis gloria summa tuis.
Vnū etenī referes, sed summū, immane, trophæū:
Captiuo summi Principis imperio.

Eiusdem de Conimbricensi Academia

à Serenissimo Lusitanorum Re-

ge Ioanne huius nominis

Tertio feliciter institu-

ta, Carmen.

Rex erga Superos nulli pietate secūdus
Ioānes: Rex idē hominū, pater optimus idē,
Oceani latè dominus, quem Maurus & ipse
Turca quoq; accepta gemina iā clade, tremiscit:
Primus ab hoc regno statuit conuellere crimen,
Infidis abstrusum animis, gentesque nefandas
Restituit cœlo: tandemque agnosce coegit,
Iam venisse Deum, puro de VIRGINIS aluo
Natum: quò generi humano referaret Olympū.
Scilicet huic Arabes, Persas, Garamátas, & Indos
Inuicta virtute domat. neque sufficit vnus
Orbis: Alexandrum superans, ignota triumphat
Littora, & ignoto dominatur classibus orbi.

His impune tulit nunquam sese obuius hostis,
In medijs arsurus aquis, his alta residant
Aequora. dat signum Triton, quo pontus & vnde

Audito sternuntur: adest in tempore totus
Nereidum chorus, ipse etiam Regnator aquarū
Neptunus, prorasque trahunt, ubi sidera desunt.
Quin & iurati pelago dant prospera venti
Flamina: eunt tutis victricia signa carinis.

Quid referam Diuis erecta immania templa?
Utque nouis undis sitientem impleuerit urbem?
Ardua marmoreis tercentum elata columnis
Machina præcellis totidem se librat in altum
Arcubus: atque Eboræ sic moenia transfilit urbis.
Stant moles: Veneri credas sudasse Cyclopas,
Grande opus: acrijs ductantur molibus undæ.

Iam qua iustitia populos in pace gubernet,
Flatosque potentum animos contundat, & imis
Esse pares faciat, quis digno carmine possit
Exprimere? Ad profugas cōuersa Astræa Sorores
Aurea sub nostro renouari Principe sæcla
Asserit: & miros terrarum iniectat amores.

Idem Iysiadum Mauortia corda suorum.
Quò paci propiora forent, mollire triumphis
Instituit sophiæ, & bellorum auertit amorem.
Nam quæ se placido diffundit in æquora cursu
Munda inter virides campos, frōdesque Mineruæ:
Quæ volucres vario clementem gutture mulcēt
Aethera, certatim replicat philomela querelas,
Ingenti veteres sumptu renouauit Athenas:

Eximiosque viros, qui sacra arcana reuelent,
Pontificum Decreta, & legū ænigmata pandant:
Qui morbos abigant, & barbara verba docēdo,
Imperat acciri. Merces proponitur illis
Magna: sed est maior Regi placuisse benigno
Gloria. Complutū linqūit, & Thormidos vndas:
Italiæ fines linqunt, Sequanæq; fluenta:
Denique & Aoniæ linqunt Heliconæ Sorores.
Regia sic docto Conimbrica vertice cœlum
Tangit, & innumeris iam ciuibus aucta superbit.

*Epigramma ex Græco: cui mentionem mor-
tis immature charissimi discipuli
sui Author inseruit.*

Mors & Amor quondam tectum venere sub vnū.

Mixtaque in hospitio tæla fuere simul.

Quum nondum clara discessum luce pararent:

Mortis tæla puer, Morsque tulit pueri.

Hinc iuuenes occidit Amor, fallente pharetra:

Hinc Mors ipsa suos cogit amare senes.

Sic Didacus periit Stephanus, florentibus annis

Ereptus Musis, legibus, ac patriæ.

Quæ Tagus auriferas latè dispergit arenas,

Et Diuæ Eiriæ mœnia celsa vides:

Hic iuuenem, ob matris funus pietate gementē,

Heu heu letali cuspide fixit Amor.

Laus Deo.



Eximiosque viros qui sacra ardua tendunt
Pontificum Decretis & legum insignibus pandunt
Qui morbos abigunt, & barbata verba docent



Hic inuenitur ob marte sumus pietatis genitor
Hic non leuati culpe deus hic Amor
Hic inuenitur sumus pietatis genitor





EMANVELIS COSTAE

OPERA

R
3
3